

infidelitatis, ab iis computorum scriptoribus et rationariis commissæ, qui, ut facilius pecuniam sub bona et publica fide sibi creditam et depositatam, in proprios vel alienos usus converterent, vel curarent ut ab aliis converti posset sive alia quacunquē de causa in consuetis codicibus et libris, ut scripturarum regula ab ipsis pro illorum officio bene exercendo postulat, nomen, vel nomina depositorum nequaquam describerent; hac nostra pagina perpetuum robur habitura, declaramus, decernimus et statuimus, singulos et quoscunque rationarios et computorum scriptores qui hoc modo in suo officio exercendo peccasse, vel factum simile fraudis et infidelitatis commisisse, vel committendum curasse comperti fuerint, vel qui cujuscumque nominis veritatem describendo, seu minorem summam ea quæ vere deposita esset tam nostræ Cameræ Apostolicæ quam alterius cujuscunque domini et creditoris pecuniæ depositæ in codicibus et libris descripsissent, damno inde secuto vel non secuto, judicari et re ipsa puniri debeant ad regulam et gradum pænæ pecuniariæ et corporalis superius impositæ in factis, et casibus contra depositarios et arcarios secundum qualitatem et circumstantias eorum inflictis. Ad hæc sancimus et statuendo declaramus, factum commissio- nis vel omissionis tanquam dolosum et fraudulentum semper habendum maloque animo et sine cogitatum, quotiescunque culpæ obnoxius contrarium non probaverit et constare curaverit.

« § 9. Ne autem exactores camerales, ii præcipue qui in vectigalibus generalibus et particularibus utriusque annonæ frumentariæ et grasciæ inque monte pietatis et mensa S. Spiritus pecunias a debitoribus exigere, exactasque principalium dominorum arbitrio servandas deponere debent, fide sibi data, sui que officii commodo abuti, sive æs et pecunias exactas, perque eos non depositas, in suum, vel alienum commodum convertere nunquam possint, præsentium tenore districte mandamus, ut totas integre et prompte quemadmodum ex officio tenentur, statim ac per illos exactæ fuerint, deponere debeant, decernentes ut qui eas non deposuerint vel in alienos usus pro arbitrio converterint secuto inde vel non secuto damno Cameræ nostræ Apostolicæ vectigalium utriusque annonæ, frumentariæ nimirum et grasciæ, montis pietatis et mensæ S. Spiritus, in singulis casibus severo iudicio judicentur et puniantur ad legem, et normam a Nobis decretam et stabilitam contra depositarios, arcarios, rationarios et computorum scriptores, ut supra.

« § 10. Volentes etiam pro nostris viribus impedire ne fraudes quæ compluries factæ fuerunt in custodia pignorum montis pietatis, rursus imposterum fiant et committantur, præsentium tenore jubemus, custodes et subcustodes pignorum ejusdem montis æque ac judicialium depositariæ urbanæ, æstimatorum, subæstimatorum, aliorumque ministrorum ad servitium pii operis montis

pietatis in memorato officio depositariæ urbanæ electorum, qui fide sibi data commodoque quod eis proprium munus subministrat, inique abutentes, clam et dolose pignus aliquod etiam parvi pretii subtraxerint, vel ex una custodia in aliam transtulerint, priusquam, vel postquam oppignoratum fuerit, illudque, sibi usurpaverint, vel aliis tradiderint, inque alia custodia oppignoraverint, vel ejus speciem et qualitatem immutaverint, remve oppignoratam confixerint, sive unam pro alia describentes dolum et fucum fecerint fraudemve quancunque falsitatem, aliamve similem actionem circa dicta pignora commiserint, ipso facto pœnam ultimi supplicii incurrere debeant, nulla eis excusatione suffragante, etiam parvi pretii et valoris rei in qua delictum commiserint, iudices vero in pœnas ferendo qualitatem, et circumstantias facti respicient.

« § 11. Decet quam maxime ut præ oculis nostris similiter debitum sollicitudinis habeamus quod Nobis ut in cæteris incumbit erga opera, et loca pia, quorum Nobis ut patri et tutori custodia commissa est. Quare præsentibus nostris volumus et ordinamus ut omnes depositarii, syndici, rationarii et exactores ecclesiarum, capitulorum, collegiorum, domuum, conventuum, monasteriorum regularium utriusque sexus, et cujuscunque loci, et operis pii, vel congregationis aut capituli qui in proprio officio et ministerio exercendo, aliquam ex prædictis actionibus et fraudibus committentes quæ damnantur et puniuntur in depositariis, arcariis, rationariis et exactoribus Cameræ nostræ Apostolicæ, in vectigalibus generalibus et particularibus utriusque annonæ frumentariæ et grasciæ ac montis pietatis, mensæ S. Spiritus et depositariæ urbanæ inservientibus, aliisque officialibus supra commemoratis, quovis modo deliquerint omnes et singuli iisdem pœnis cum suis complicibus omnino subjaceant, quæ in eosdem depositarios, arcarios, exactores, camerales aliosque superius nominatos inflictæ fuerunt, ita ut de utriusque par iudicium feratur iisdem modis et formis quæ superius præscriptæ fuerunt.

« § 12. Quia vero zelus justitiæ quo intus incendimur nos movet ut has provisiones nostras plenissimo effectui mandandas quamprimum curemus, Nos supradictis reis, omnia subterfugia et prætextus eripere decrevimus, quos sæpe numero iudicium criminale sagaciter declinaturi, vel rigorem pœnarum vitaturi studiose conquirunt mala et falsa quarundam regularum legalium interpretatione freti, quas factis pessime aptant, propterea decernimus et ordinamus ne ullus ex jam dictis depositariis, arcariis, exactoribus, rationariis, syndicis et custodibus aliisve ex nominatis officialibus et ministris, qui quocunque modo contrafecerint et quancunque ex memoratis, expresse illicitis, vetitis ac criminosis actionibus commiserint nunquam possit esse vel haberi immunis et liber ab actione criminali, et eo

minus excusari in aliqua parte delicti, neque absolvi aut liberari a quacunquē pœna sub prætextu cujusvis securitatis ab eo datæ pro indemnitate Cameræ nostræ Apostolicæ, montis pietatis, mensæ S. Spiritus, vel alterius loci piique operis prædictorum. Nullo pacto etiam ei possit aut debeat suffragari speciosum velamen administrationis, calculorum faciendorum et rationum non redditarum, similesque emendicatæ exceptiones et prætextus, quæ omnia frivola, levia, levissima et nullius momenti esse declaramus tanquam dolo malo delinquentium suggesta et excogitata. Quotiescunque ergo aliquis ejusmodi pecuniam in proprium vel alienum usum et commodum convertere ausus fuerit, vel ei solvendum curaverit qui in monte pietatis vel in mensa S. Spiritus nullam ante pecuniam vere deposuerit, quive rei et pecuniæ depositæ et exactæ esse debitor deprehensus fuerit, atque impositus compertus rei ablata, statim et sine ulla mora restituendæ, de eo tanquam de homine infami ac vero latrone judicabitur, et omnino ad dispositiones edictorum punietur, ut dictum est supra, nulla ei prædictarum et similium dispositionum ullo pacto suffragante.

« § 13. Si aliquis ex supradictis ministris, officialibus, depositariis, arcariis, exactoribus, syndicis, aliisque superius ordinatis debitor exstiterit, inque aliquod ex delictis jam expressis inciderit, aliena pecunia deposita exacta, vel in arca servata pro arbitrio suo usus, rationario et computorum scriptore id sciente, nec præsidi et superiori patefaciente, cui ea omnia patefieri volumus, tunc rationarius, etiamsi facti conscius non fuerit, pœnis etiam corporalibus et gravissimis ad qualitatem et circumstantiam facti puniatur, nisi clare et evidenter ostenderit se rem eidem præsidi et superiori antea patefecisse.

« § 14. Quia nostra intentio fuit et est præsentibus constitutionibus providendi Cameræ nostræ Apostolicæ, atque omnium S. R. E. imperio subditorum indemnitati, non tam pro factis in hac nostra alma Urbe imposterum fortasse eventuris, quam pro quibuscunque aliis quæ in toto Statu Ecclesiastico, tam mediate, quam immediate Nobis et huic sanctæ Sedi Apostolicæ subiecto, comprehensis etiam quatuor S. R. E. legationibus Bononiæ, Ferrariæ, Romanodiolæ et Urbini, evenire possint: ideo volumus et decernimus ut hæc eadem constitutio nostra in omnibus et singulis suis partibus, et dispositionibus, inque omnibus et singulis casibus, et factis, in ea comprehensis et expressis, locum, robur, vim et vigorem habere, et plenâ executioni mandari debeat, etiam extra hanc aliam Urbem nostram, in omnibus civitatibus et locis Status Ecclesiastici, ita ut delinquentes in iisdem quatuor legationibus severo iudicio judicentur secundum leges et dicta quibus in iisdem legibus judicantur et puniuntur latrones, et ad normam et tenorem præsentis nostræ constitu-

tionis, ut decrevimus et ordinavimus supra.»
« § 15. Quandoquidem pariter nostra intentio omnino est, ut provisiones huc usque memoratæ, inque hac alma Urbe nostra Camera Apostolica, monte pietatis, mensis publicis, locis et operibus piis unam eademque vim et robur semper obtineant, culpasque, fraudes et damna impedire debeant, quæ in præjudicium communitatum totius Status Ecclesiastici committi possunt, hinc Nos in casibus et factis congruis mandamus et ordinamus ut omnes et singulæ dispositiones superius expressæ locum habeant contra exactores, camerarios, depositarios, aliosque ministros et officiales cujuslibet communitatis nostri Status Ecclesiastici, aliquam ex prædictis actionibus, et delictis committentes, contra quos propterea judicari et procedi debeat, non auditis, neque attentis frivolis exceptionibus et prætextibus superius enumeratis; scilicet ea forma et modo quæ contra officiales et ministros camerales, aliosque superius nominatos præscribuntur.

« § 16. Quamvis ordinamenta et sanctiones præsentibus litteris nostris hactenus recensita, contra delinquentes in casibus in posterum eventuris promulgaverimus, non ideo tamen intendimus a debitis pœnis, justisque animadversionibus eximere eos rationarios, computorum scriptores, arcarios, exactores, custodes, depositarios, syndicos, camerarios, aliosque officiales et ministros jam enuntiatos Cameræ nostræ Apostolicæ, vectigalium generalium, et particularium utriusque annonæ, frumentariæ nimirum, et grasciæ, montis pietatis, mensarum publicarum, Datarie Apostolicæ, et depositariæ Urbanæ, et communitatum status nostri ecclesiastici, qui olim quomocunque aliquam ex supradictis actionibus et fraudibus commisissent, de quibus facta est mentio, in omnibus et singulis casibus expressis. Volumus enim ut iisdem, ob delicta olim commissa, iisdem omnino pœnis puniantur quæ secundum leges communes, vel municipales, et edicta locorum et provinciarum contra tales fraudatores, et delinquentes inflictæ essent.

« § 17. Itaque pro omnium et singulorum præmissorum celeri et omnimoda executione mandamus dilecto filio nostro S. R. E. cardinali camerario, nec non thesaurario generali Cameræ nostræ Apostolicæ, nunc et pro tempore existentibus, ut contra omnes et singulos prædictos ministros et officiales qui aliquod ex memoratis delictis in damnum et præjudicium ejusdem Cameræ nostræ Apostolicæ, directe vel indirecte redundans, illorumque officia respiciens, quoquomodo, ut dictum est supra, commiserint, aut committi et perpetrari curaverint, vel in illorum perpetratione rem et complicitatem aliquam habuerint, cujuscunque conditionis et qualitatis exstiterint, videlicet, tam sæculares quam ecclesiasticos, et quomodolibet privilegiatos, aut exemptos, ad

debitas in eos pœnas, tam per se, quam per suos locum tenentes, iudices, atque alios arbitrio illorum, prout necessitas casuum exegerit, in partibus etiam delegandos et subdelegandos, procedant, procedique mandent, et juxta præsentem nostram constitutionem, justitia mediante, deveniant et deveniri faciant.

« § 18. Injungimus itidem pro ulteriori præmissorum implemento, tam hujus almæ Urbis nostræ gubernatori, et curiæ causarum Cameræ Apostolicæ generali auditori, cæterisque Urbis iudicibus, ad quos de jure spectat, quam omnibus etiam, et singulis nostris, et Sedis Apostolicæ in quibuscunque provinciis, legatis et vicelegatis, nec non quarumcunque civitatum, terrarum, oppidorum et locorum, Nobis, et eidem Sedi, tam mediate quam immediate subjectorum gubernatoribus, prætoribus, capitaneis, commissariis, et aliis quibuscunque iudicibus, quavis etiam subdelegata potestate fungentibus, ut præsentibus nostras inviolabiliter in suis iudiciis observent, nec non contra delinquentes prædictos suæ jurisdictioni subjectos, ad formam earumdem præsentium omnino procedant, omniaque in eisdem litteris contenta plenariè executioni demandent.

« § 19. Postremo decernimus has litteras nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ defectu notari, minusque sub quibusvis similibus, vel dissimilibus gratiarum revocationibus comprehendere, vel illis derogari nullo modo tacite, vel expresse unquam posse, nisi de illis, earumque totis tenoribus, ac datis de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, et expressio facta fuerit, aliterque factas derogationes nullius roboris et momenti fore, et tanquam tales a nemine attendi, nec ulli suffragari posse, atque ita per quoscunque iudices, tam ordinarios quam delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. cardinales, et de latere legatos, iudicari et definiri debere sublata eis, et eorum cuilibet aliter judicandi et interpretandi facultate, decernentes irritum et inane quidquid secus in præmissis, et quolibet præmissorum, atque hac nostra constitutione contentorum, et statutorum, vel circa ea a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, legibus, ac Urbis et Romanæ Curie tribunalium, aliarumque curiarum nostri Ecclesiastici Status, ac legationum prædictarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, stylis, consuetudinibus, quas, si quæ forent, per præsentibus revoca-

mus, nullasque et invalidas esse declaramus; privilegiis quoque, indultis et litteris Apostolicis in contrarium præmissorum forsitan quomodolibet concessis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus, specialibus, specificis, expressa et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma, ad hoc servanda foret, tenore hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihilo penitus omisso, et forma in illis tradita, observata, inserti forent, eisdem præsentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, ad effectum præsentium, illisque alias in suo robore permansuris, harum serie specialiter, et expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque.

« § 20. Volumus autem ut, elapsis tribus respectu dictæ nostræ Urbis, et quindecim diebus respectu totius prædicti nostri Status Ecclesiastici, postquam præsentibus valvis ecclesiæ Lateranensis, et basilicæ Principis Apostolorum ejusdem Urbis, et in acie Campi Floræ per aliquem ex nostris cursoribus affixæ et publicatæ fuerint, omnes et singulos, tam in Urbe quam in toto Statu Ecclesiastico et legationibus existentes perinde obligent et arceant, ac si unicuique eorum personaliter et nominatim intimatæ fuissent; utque earum transumptis etiam impressis manu notarii publici subscriptis, et sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides in iudicio, et extra adhibeatur, quæ eisdem præsentibus, si exhibitæ vel ostensæ essent, adhiberetur.

« § 21. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ constitutionis, sanctionis, legis, statuti, decreti, declarationis, dispositionis et jussionis infringere, vel ei temerario ausu contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum apostolorum Petri et Pauli se noverit incursurum.

« Datum Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vigesimo nono, sexto Kalendas Octobris, pontificatus nostri anno sexto. »

* Cum de montibus pietatis plures egerint, nemo tamen uberius et eruditius in hoc argumento versatus est, quam P. Franciscus Xaverius Zech. in eo libro, quem a. 1747 Ingolstadii edidit prænotatum: « Rigor moderatus doctrinæ Pontificiæ circa usuram a SS. D. N. Benedicto XIV; per epistolam encyclicam episcopis Italiæ traditus. » Cap. 1 sect. 6, a n. 257 ad 384.

MORGANEGIBA ET MORGENGABA, SIVE MATRIMONIUM AD MORGANATICAM.

NOVUS CASINENSIS ARTICULUS.

Matrimonii conscientia, de quibus actum est sub verb. MATRIMONIUM, art. 9, n. 63, simile est matrimonio sic dictum ad morganaticam (103), conjunctio nempe cum femina inæqualis conditionis ritu ecclesiastico iusta, sed ea lege, ut mulier ejusque filii id tantum de bonis patris assequerentur, quod tempore sponsaliorum conventum esset. Hoc pacto femina, quæ ducebatur inæqualis conditionis, neque ad viri dignitatem evadere, nec suscepti ex ea liberi patri hæredes esse poterat. Hinc quamvis hæc conjunctio utique pro vero matrimonio secundum Ecclesiæ leges haberetur, quippe sacro ritu celebrata, civilibus tamen effectibus, præsertim juxta Germanorum instituta (de quibus Adam Bremensis lib. 1 *Hist. eccl.*, c. 5) minime donabatur. Dictum porro fuit ad morganaticam voce corrupta a *morgengaba*, eratque, teste Gregorio Turenensi, l. IX, cap. 20, morgengaba donum matutinale, quod nempe maritus uxori mane post primam nuptiarum noctem faciebat, quasi ob præmium virginitalis, eujus spolia paulo ante retulerat. « In dote, quam in morganegiba, hoc est maritali dono in Franciam venientem certum est adquisisse... Tam in dote, quam in *morgengaba*, hoc est matutinali dono certum est acquisisse. » Sic Gregor., l. c. (104).

Hujusmodi donum vel lautum, vel tenue pro eujusque amore et charitate in uxorem fiebat. At cum quorundam, quos mulieris illecebræ deliniebant, ea in re dissolutior esset liberalitas, rex Longobardorum Luitprandus lege lata sanxit, ne quis propter

morgengap, ultra quartam partem bonorum suorum uxori daret; l. II *Leg. Longob.*, tit. 5, cap. 1.

Porro tale matrimonium viros nobiles, præsertim in Germania contrahere mos invaluit, cum post obitum nobilis mulieris, quam pridem uxorem habuissent, ac genitos ex ea filios, aliam ducebant humili loco natam, ne prioris matrimonii liberi præjudicium inde sentirent.

Illud hic addere non abs re sit, in l. II *Feudorum* exstare titulum vigesimum nonum, qui inscribitur *Matrimonium ad morganaticam*, ubi late de hujusmodi matrimonio cum peculiaribus circumstantiis agitur, in hæc sane verba: « Quidam habens filium ex nobili conjuge, post mortem ejus non valens continere, etiam minus nobilem duxit, qui volens existere in peccato, eam desponsavit ea lege, ut nec ipsa, nec filii ejus amplius habeant de bonis patris quam dixerit tempore sponsaliorum: verbi gratia « decem libras, vel quantum voluerit dare, » quando eam desponsavit: quod Mediolanenses dicunt accipere uxorem ad morganaticam, alibi lege salica; hic, filiis ex ea susceptis, decessit. Isti in proprietatem non succedunt, aliis exstantibus; sed nec in feudo, etiam aliis non exstantibus, qui licet legitimi sint, tamen in beneficio minime succedunt. In proprietate vero succedunt patri, prioribus non existentibus. Succedunt etiam fratribus sine legitima prole decessentibus, secundum usum Mediolanensium. » Unde vides quomodo ex *leg. Feud.* hoc matrimonium regetur.

MORIBUNDUS.

SUMMARIUM.

1. Moribundus nequit licite respicere remedia ordinaria ad sanitatem. — 2. Bene vero remedia extraordinaria, et nimis dura. — 3. Moribundus qui petit confessarium, licet, ipso adveniente, jam obmutuerit, et nulla dare possit signa penitentiae, potest et debet absolvi saltem sub conditione. — 4. Moribundus qui nullum penitentiae signum dedit nec dare potest, si ipse prius probe et christiane vixerit, et sacramenta frequentaverit, probabiliter potest absolvi sub conditione. — 5. Moribundus a quolibet sacerdote et probabiliter etiam a laico in articulo mortis absolvi potest ab excommunicatione et interdicto personali. — 6. Moribundo, si sit periculum vomitus, dari potest parva particula Eucharistiæ, quæ stomachum alteratur non credatur; aut si de hoc ipso sit dubium, potest fieri experimentum cum particula non consecrata; quam si retineat, danda est ei consecrata: secus non. Si autem inde-

pendenter a cibo, perpetuo evomat, nullo modo est ei danda sacra communio, nisi forte per sex saltem horas liber a vomitu exstiterit. — 7. Moribundo puero doli capaci probabiliter est dandum viaticum, quamvis nondum esset sanus ad communionem admissus. — 8. Si moribundus sit communicandus, et desit stola vel alba, potest in tali casu ei dari communio sine ipsis. — 9. Moribundus tenetur ex præcepto divino Eucharistiam sumere per modum viatici, et hoc etiamsi non sit jejunus. — 10. Et licet sit jejunus, adhuc recte adhibetur formula *Accipe viaticum*, etc. — 11. Moribundus qui mane communicavit sanus ex devotione, an superveniente periculo teneatur eadem die per modum viatici communicare? — 12. Moribundo post 7 vel 8 dies potest iterum dari viaticum, etiamsi non sit jejunus, dummodo nequeat jejunus sumere, et periculum mortis recurrat. — 13. Moribundo, quando morbus et periculum diu protrahitur, potest iterum post 7 vel 8

(103) Matrimonii conscientia quoad substantiam illa ad morganaticam respondent. Secus vero quantum ad civiles effectus attinet, quibus hæc posteriora carent, non sic priora, habita etiam ratione constitutionis felic. record. Benedicti XIV, incip. *Satis vobis*, quam integram attulimus sub verb. MATRIMONIUM, art. 9, sub num. 63, ubi multa invenies, quæ hujusmodi matrimonia spectant. Quid vero apud nos in matrimonii conscientia quantum ad civiles effectus obtineat, in actibus sic dictis post

novissima concordata videre est, part. III, pag. 182 et seqq.

(104) Et quidem morgengaba in omnibus matrimoniis locum habebat, moribusque receptum erat, ut solemniter instrumento cum aliis nuptiarum lucris finiretur et promitteretur. Et quoniam in inæquali conjugio hoc unum uxor, ejusque filii lucrabantur, inde ad *morgengabicam*, seu *morganaticam* dictum fuit.